

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 2167

**Auteur(s) :** Guillaume, Barbery, Notre-Dame (abbé)

**Bénéficiaire(s) :** Jeanne, fille de Raoul Taisson, dame de Thury [particulier]

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1262

**Action juridique :** notification

**Langue du texte :** latin

## Analyse

« Cest la lettre de labbé et du couvent de Barberie(analyse du milieu du XIVE s.) ». Guillaume, abbé de Notre-Dame de Barbery notifie la confirmation par Jeanne, fille de Raoul Taisson, dame de Thury, et ses deux fils, Robert et Guillaume Bertran, de l'accord intervenu avec l'abbaye de Barbery au sujet du moulin de Chevreuil.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Saige Gustave, *Cartulaire de la seigneurie de Fontenay le Marmion*, Monaco, Imprimerie de Monaco, 1895, n° XXXV, p. 48-50.

Texte établi d'après a

Universis presentes litteras inspecturis et audituris, frater Guillelmus, abbas beate Marie de Barbereio, et ejusdem loci conventus, salutem in Domino. Noveritis quod cum inter nobilem Johannam, dominam de Tureyo, filiam Radulphi Taysson, tempore viduitatis sue, ex una parte, et nos, ex altera, occasione cujusdam molendini quod vocatur Quevreul, siti in parrochia de Fresneyo le Puceus, contentio verteretur super tribus articulis inferius annotatis : primo ex eo quod dicebat se et heredes suos debere molere sine solutione moute in dicto molendino quando apud Fontenetum le Marmion residenciam fecerent, alternatim tamen ad molendinum de Moeyo et ad molendinum superius nominatum ; secundo ex eo quod dicebat molendinarium suum debere partiri moutam totam et primo capere partem suam antequam nos in mouta predicta aliquid caperemus ; tercio ex eo quod dicebat se et heredes suos habere justiciam dicti molendini, tam ad partem nostram quam ad partem suam pertinentem ; que omnia et singula sibi et heredibus suis penitus negabamus, tandem super hoc amicabiliter convenimus in hunc modum ; videlicet quod nec ipsa nec heredes sui poterunt nec debebunt de cetero molere ad dictum molendinum quin moutam debitam solvant et oportunam ; item, nec ipsa, nec heredes sui, nec eorundem molendinarii habebunt de cetero prerogativam nec aliquod avantagium nec dominium in percipiendo nec capiendo moutam in dicto molendino ; item, nec nos, nec successores nostri in possessionibus suis, nec in possessionibus hominum suorum, ubique sint, in toto feodo de Fonteneto le Marmion poterimus nec debemus de cetero aliquam justiciam exercere ratione molendini predicti, nec etiam reclamare ; immo dominium, districtus, dangerium, justicia, placita et emende omnium predictorum sibi et heredibus suis penitus remanebunt cum pertinentiis justiciarum, placitorum et eciam emendarum, sine aliqua reclamacione et molestacione nostri et successorum nostrorum de cetero faciendis. Et sciendum quod ipsa et heredes sui habebunt de cetero medietatem tocius portionis quam in dicto molendino superius nominato et ejus pertinentiis habebamus. Ipsa vero, pro bono pacis, pro se et heredibus suis, nobis et successoribus nostris medietatem tocius porcionis quam habebat in dicto molendino et ejusdem pertinentiis concessit. Sciendum est eciam quod ipsa et heredes sui, ex una parte, ex nos et successores nostri, ex altera, de cetero pares erimus et equales, medietate ad medietatem, in capiendo omnes moutas ad dictum molendinum pertinentes,

tam siccas quam alias, percipiendo et alternatim recipiendo. Erimus de cetero ipsa et nos pares eciam et equales, et eciam heredes sui, in dictum molendinum, cum necesse fuerit, faciendo, reparando, reficiendo, jura predicti molendini pariter defendendo et omnes redditus ratione dicti molendini debitos acquitando et in omnibus aliis ad dictum pertinentibus molendinum, salvis que superius sunt expressa. Et sciendum est quod portiones nostre ad dictum molendinum pertinentes debent dividi per molendinarios nostros utrique parti juratos dictum molendinum servantes. Preterea inter nos ordinatum extitit et concessum quod ullus nostrum poterit sibi accrescere in dicto molendino et pertinentiis ejus, quocunque modo, quin alia prius habeat medietatem tocius illius accrementi, parti tamen accrescenti pro medietate precii vel valoris competenter primitus satisfacto. Et si contigerit aliquem justicie nostre in aliquo deficere quod de jure ad predictum molendinum, tam ratione dicti molendini quam pertinentiarum facere teneatur, nos tenemur, ad petitionem monnarii dicte domine, ita libere et ita fideliter, sicut ad petitionem nostri proprii monarii et vobis facere penitus dampnum reddi. Et ad hec omnia et singula nobis et nostris monnariis dicta domina et heredes sui modo consimili obligantur. Que omnia et singula ita esse in perpetuum rata et stabilia approbavimus nos jamdicti abbas et conventus, et ego Johannes, abbas de Savigneio, prior abbatie antedicte, et unanimiter et fideliter concessimus, et a nobis et successoribus nostris, absque reclamacione et contradiccionem aliqua a vobis vel ab ipsis successoribus vestris de cetero faciendis firmiter et integre omnibus futuris temporibus volumus observari. In quorum omnium et singulorum testimonium perpetuitatem firmiorem et confirmationem majorem, presentem cartam roboravimus nostrorum munimine sigillorum. — Actum anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo secundo.